

Q. D. B. V.
DISSERTATIO IN AVGVRALIS
De
JVRAMENTORVM JV-
DAICORVM
A CHRISTIANIS
TAM ACCEPTORVM, QVAM
EXACTORVM,
FIDE ET MORALITATE,
Quam
JVSSV & CONSENSV
AMPLISSIMI
ORDINIS PHILOSOPHICI.
PRÆSIDE
VIRO MAGNIFICO,
DAN. GVIL. MOLERO,
Com. Palat. Cæf. Metaph. & Histor.
Prof. Publ. Celeberrimo,
DN. PATRONO ac Studiorum suorum PROMOTORE
omni observantie cultu etatem prosequendo,
PRO
SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS
rite legitimeq; obtinendis,
publicæ placideq; Compilitionum Disquisitioni submittet
JOH. GEORG. RIEDERER, Norimberg,
d. 27. Jun. Anno M DCIIC.

*Altdorf*i*, Literis HENRICI MEYERI, Universit. Typographi.*



STADTBIBLIOTHEK
FRANKFURT AM MAIN.



שׁבָּה

DISSERTATIO IN AVGVRALIS De JVRAMENTORVM JVDAI- CORVM à CHRISTIANIS TAM AG- CEPTORVM, QVAM EXACTORVM, FIDE ET MORALITATE.

§. 1.

 Vastio, *Quid de Juramentorum Judaicorum Fide & Moralitate à Christianis sive acceptorum, sive exactorum, sit sentendum?* nec in praxi caret usu, nec adeo facilis est solutu, ut non deprehendantur doctissimi Viri in partes abiisse. Sane ob hanc quæstionem, quæ in foro Christianorum sèpius agitur, non dubitavit Vir Clar. JOH. FRIED. MIEG, S. Theol. Doctor & Professor Heidelbergensis, An. 1672. R. Mosis Maimonidis Tractatus de Juramentis secundum Leges Hebreorum, & Latinitate donare, & notis illustrare, prout ex Præfatione libro huic præmissa constat. Atque Maximè Venerandus DN. JOH. WILFERVS, Avunculus meus observantissimè colendus, in suis ad Iheriacam Judaicam Salomonis Zevi Animadversionibus, pag. 181. cùm, quæ ob perfida juramenta Judæis Brenzios objecerat, ventilanda sibi sumeret, *Ardua bīc, inquit, res est, ad Brenzii accusationem respondere, in tanto in primis virorum doctissimorum consensu, qui album ei (Brenzio accusanti) addunt calculum, quorum judiciorū si standum est, convicti videntur Judei.* Non igitur malè me tempus locaturum puto, si hanc quæstionem & utilem & arduam paulò altius, pro ingenii tamen modulo, repetiero, & speciminis inauguralis loco proposuero. Deus mea cœpta secundet!

A 2

§. 2. De

§. 2. De Juramentis Judæorum fuisus alii ex professo egerunt, MIEGIVS cit. loc. JOH. BVXTORFIVS in Synagoga Judaica aucta & locupletata cap. XLVIII. JOH. SELDENVS Tract. de Synedriis libr. II. cap. XI. & alii, ex quorum meletematibus nonnulla, sine quibus quaestio nostra, vel non intelligi bene, vel non decidi plene potest, delibanda veniunt. Ubi tamen antea monemus, (quod non insuper habendum duxit Miegivs præf. cit.) non praxin adeo, quam doctrinam Judæorum h. l. considerandam esse, cum non tam ex illa, quam ex hac cognosci possit, quid juris in Synagoga circa juramenta vigeat, & an, quæ contra Leges eorundem fiunt, possint haberit pro licitis actionibus, aut pro re à Judæorum gente probata.

§. 3. Juramentorum genus quadruplex tradit R. Moses Maimonides in Tractatu de Juramentis, statim ab initio, sc. (1) שבועות ביטוי Juramentum Futilē seu Temerarium (2) שבועות שווא Juramentum Vanum (3) שבועות חזרותה הקדום Juramentum Depositū: & (4) שבועות העזרות Juramentum Testimonii. *Futile Juramentum* appellant, de quo agit Lex Levit. V. 4. Cum quis juraverit effutendo labiis suis, se bene vel male facturum, juxta omnia, que temerè proferre solet homo cum Juramento &c. Et hoc denuo sic subdividunt, ut duplex juramentum de Futuro, & duplex de Præterito statuant temerarium. De Futuro quidem, ut si quis juraverit se comedeturum, aut non comedeturum: De Præterito, ut si quis juramento contenterit, se comedisse, vel non comedisse. Porro *Vanum juramentum* itidem quadruplex constituit Maimonides l. c. *Prima species* est, ubi jurat quis id, quod nemo nescit, se non ita habere; ut Virum esse foeminam, vel contra &c. *Secunda Species* est, si quis jurat, id esse vel non esse, de quo nemo unquam dubitarat, v. gr. Duo esse duo, vel Cœlum esse Cœlum &c. *Tertia Species* vani juramenti dicitur, cum quis juramento affirmat, se præcepta transgressurum esse, v. g. se non usurum phylacteriis, non observaturum sabbatum &c. *Quarta Species* dicitur Maimonidi, cum quis se juramento ad id adstringit, quod tamen in sua potestate non est, v. g. se continuos tres dies noctesq; totidem non dormitürum &c. *Juramentum Depositū*, circa Depositā ipsa sic vulgo dicta, res alienas, mutuo acceptas, casu repertas &c. versatur. Huc referunt Legem Divinam Levit. XIX. 11. Denique *Juramentum Testimonii* addunt, de quo urgent Legem Levit. V. 1. Plura de quadruplici hoc juramentorum genere pete ex cap. I. Maimonidis,

dis, & quæ ad istud notavit D. Miegius cit. Tract. pag. 7. seqq. atque ex eodem capite attulit Seldenius loc. cit. §. VIII. pag. 311. seqq. Cum primis notatu dignum est, quod Miegius monet, scil. niti omnibus, quæ Maimonides congefferat in toto suo libro, quinque præceptis divinis, quæ Judæi in celeberrimo illo Legum 613. catalogo de Juramentis numerantur, quorum quatuor sint negativa & unum affirmativum. Illa extant, (1) Levit. XIX. 12. (2) Exodi XX. v. 7. (3) & (4) Levit. XIX. 11: hoc verò Deut. VI. 13. & cap. X. 20. Unde etiam factum esse dicit, quod Maimonides non omnia quæ dari possunt, sed quæ Scriptura proposuerat, juramenta enumerarit.

S. 4. *Ad reatum perinde est*, sive quatuor horum juramentorum suopte quis ore proferat aliquod, sive adjuratus ab alio, etiam gentili, etiam parvulo respondeat Amen. Qui enim respondet Amen, habetur ac si juramentum suopte ore protulisset; nec refert, utrum partcula Amen, an formula alia equipollente, ut Ita; vel. Obligatum me hoc jurejurando agnosco; vel, Recepit in me juramentum istud; vel simili alia, quacunq; tandem in lingua utatur: *Talis juranti quoad omnia equiparatur, tam in merito flagellationis, quam sacrificii offerendi obligatione.* Verba sunt R. Maimonidis ex versione Miegii cap. II, pag. 11.

S. 5. Alijs certum est, Judæos nulla pene in re magis sollicitos fuisse, aut quicquam animos eorum adeo offendere potuisse, quam Votorum nuncupationem & superaddita ad hæc juramenta, quibus aut eadem vota se reddituros promiserant, aut fidem sibi ulla in re fecerant. Maxime Reverendus Dn. Wülfers cit. loc. pag. 182: pluribus adductis testimoniosis probat, Magistris Judæorum gravibus monitis & præceptis solere omnibus viribus suos revocare à prava vovendi & jurandi consuetudine, ita ut vota facientem ei comparent, qui altare exstrueret idolo; & votum suum impletum ei, qui super altare istiusmodi offerret sacrificium. Unde etiam eum, qui quid vovet, utut quod vovet, impleverit, יְשַׁׁרֵּעַ impium tamen & peccatorem dici ex Jore dea ibidem ostendit. Si-
uti vero durioribus hisce & similibus aliis dictis à votorum & juramentorum facilitate præmunire suos gestiunt Rabbini; ita illud, intelligentes gravitatem peccati, quod ex votorum & juramentorum temeritate oritur, de medicinâ parandâ cogitarunt, dispicientes, quibus modis vota cumprimis per imprudentiam fa-

sta retractari & aboleri possent. Hinc secuti exemplum Legis Divinæ Num. XXX. v. 6. 9. 13. permiserunt, ut res ad Rabbinum quendam magnis in negotiis agendis exercitatum, aut tres alios circumspectos Viros deferretur, qui de voto dubio dispicerent; illudque vel solverent, vel arctius constringerent. Egregius locus est, quem cit. loc. pag. 183. Dn. WÜLFERVS adfert ex libro Italico *Leonis Mutinenfis*, huc tantum verbis Latinis transferendum: *Nec verò, ait, laudari vota solent, qua nonnulli nuncupant, facta tamen solvi sedulo debent.* Potest nibilominus *Maritus in Conjugis sue votis, à quacunq; etiam re absentia am se ea vovisset, dispensare nonnihil, eademq; prorsus dissolvere, à spatio viginti quatuor horarum, à quo Conjugem voti ream esse audiverat, quemadmodum Pater filie sive vota rescindere poterat, prout Num. XXX. prolixè legitur.* Acceperunt autem fudei per Majorum suorum traditionem, posse Rabbinum quendam, magna authoritatis virum, aut tres alios, utut nullo in dignitatis gradu constitutos, in solvendis viri feminæq; juramentis & votis, que in alterius præjudicium non cadant, quorumq; graves ob causas eos paeniteat, dispensare, atq; irrita plane reddere. Is igitur, qui liberari ab iis cupit, bunc aut illos accedit, qui causa paenitentia sue auditâ, justâq; cognitâ, tribus vicibus ei inquiunt: *Remissum tibi sit votum, aut Juramentum Sc. sisq; liber!* Haec tenus verba Leonis Mutinensis ex Versione Wülfseriana. Quanquam non ignoramus, prodiisse totum Opusculum Leonis, de Ceremoniis & Confuetudinibus hodie Judæos inter receptis, una cum Richardi Simonii Supplemento, interea temporis latine, Interpretè Job. Valentino Großgebauer qui conferatur Part. II. § III. pag. 62. 63.

§. 6. Speciatim festo *Expiationis* in more positum habent Judæi recitare Orationem prolixam, que à vocibus initialibus, קָרְבָּן Col Nidre appellari solet, in qua retractant vota & juramenta. Placet adducere ipsam formulam τὸ Col nidre, & quidem ex versione Dn. WÜLFERTI, qui loco sèpius citato pag. 184. etiam verba Chaldaica ex duobus Codicibus, *Manuscripto Norimbergensi* & *Pyrbaumenfi* exhibit; sensum vero pag. 185. talem reddit: *Omnia vota & obligationes & anathemata & execrations & multæ & cognomina eorum & juramenta, que vovebimus, jurabimus, consecrabimus, aut quorum causa nos obligabimus juramentis, à die hoc Expiationis usq; ad diem Expiationis futurum, qui feliciter nobis illucescat, & quorum*

rum nos pœnitentib[us] s[unt] soluta, remissa, sublata, abolita; & nulla, nec firma nec valida. Votum nostrum non sit votum, obligatio nostra non sit obligatio, & juramentum nostrum non sit juramentum. Alii tamen non ut Mardochai Japhe, de futuro anno, sed de præterito exponunt, h. mi Omnia vota, interdicta, anathemata, que vovimus, juravimus, devovimus, observavimus & quibus nos adstrinximus à die Expiationis præterito usq[ue] ad presentem (qui nobis sit auctoratus!) eorum omnium nos pœnitentia, irrita, cassa & sublata sunt. Confer Buxtorfum in Synag. Jud. cap. XXVI. Edit. 1661. pag. 530. 531. & fuisus adhuc Venerandum Dn. Willferum, qui cit. loc. ex Rabbinorum scriptis plura hanc in rem adfert.

§. 7. Ut autem intelligatur, quo[u]isq[ue] juramentorum haec solutio à Iudeis extendatur; non insuper haberi debet, quod Duumviri, quorum ad autoritatem modo provocavi, monent. Buxtorfius ex R. Mardochai Japhe adducit notabilia verba de Col nidre: *Abolitio hec*, inquit Mardochai, *non prodest nisi pro votis*, que quis sponte vovet, & pro juramentis, que quis à se ipso jurat. Quod autem ad ea vota attinet & juramenta, que alicui deferuntur vel à Proximo suo, vel à Domo judicii, ea neq[ue] abolitio, neq[ue] conditio hac potest tollere & irrita reddere, quia sic jurat juxta mentem proximi sui & domus judicii. Dominus Willferus autem pag. 186. 187. 188. longè plura testimonia adfert (1) ex Commentario ad Machsor MS. Bibliothecæ Norimbergensis (2) ex Orach Chaym num. 619. Addit usque ad eo hoc palam esse, ut (3) Germanicus liber, Krubatz vulgo dictus, ad Col nidre, monuerit, nomina illa קָרְבָּא, קָרְבָּא, anathemata, execrations & mulctæ &c. esse modos saltē loquendi, quibus votum quodvis ratum esse velint. Imo (4) ex Mischna & Gemara Mass. Nedarim Cap. I. si opus esset, hoc confirmare licere, idem observat, ut alios, quos ibid. nominavit, taceam.

§. 8. Factum hinc est, ut judicium mutatum de Juramentis Iudæorum in Synagogæ Judaicæ à Buxtorfis adornatis editionibus deprehendamus. Cùm enim in prima editione Latinâ Basileæ 1641. cap. XXI. pag. 370. post recitationem orationis Col nidre defcriptam, additum legamus, *Observa, quanti Judei iurandum, præsternim Christiano datum, sit faciendum?* mutata prorsus sententiâ, in auctiore editione 1661. cap. XXVI. pag. 531. legitur: *Ob hanc votorum & juramentorum solutionem & abolitionem male audiunt Iudei, quasi Juramentis illorum, que Christians faciunt, nulla fides*

fides sit babenda. Absolvit autem postea Buxtorfius Judæos ab hac suspicione, adducendo textu Mardochai Japhe, §. præced. allegato.

§. 9. Postquam autem veritatis vis Buxtorfianum judicium immutare sustinuit; jam omnino confido, minoris habitum iri reliquorum accusations, qui Judæis ob Col nidre, omnem fidem derogare, illorumque juramenta pro re vana habere non dubitare. Est ex his D. JACOBVS AYRER, Advocatus olim Norimbergensis im Historischen Processu Juris, Edit. 1617. Part. II. cap. V. pag. 530. ubi hæc legimus: *Desiggleichen haben sie (die Juden) alle Jahr auf dem langen Tag ein Fest / auf welchem Fest sie beten ein Gebet / Calindro genannt / das lediget sie von allen Gelübden und Eyden / die sie den Christen ein ganzes Jahr geschworen / gethan und zugesagt haben / daher haben die Rechtsgelehrten und das Cammergericht zu Speyer in den Eyden / die man den Juden auflegt / eine solche schwere Conjuration gemacht / daß er / der Jud. sich bey dem ewigen Gott Adonai verzeihen muß: seines Eydes halben keine Verzeihung zu bitten / zu begehren / aufzunehmen / noch auch kein Erklärung / Abnehmung / oder Vergebung von keinen Juden oder andern Menschen nicht zu nehmen / &c.* Sunt ex his etiam Judæi aliquot conversi, CHRISTIANVS GERSON, Talmudis sui Part. I. cap. XXV. ANTONIVS MARGARITA, cujus verba adducit DN. WÜLFERS c. I. pag. 181. 182. SAMVEL FRIDERICVS BRENZ im Jüdischen abgestreiften Schlangenbalg cap. III. pag. 12. 13. ubi odiose similia legimus exaggerata, quæ tamen docti Viri inter Christianos, quibus res judæorum plenius perspecta sunt, à veritate paulo remotiora deprehendunt. Nec enim in Col nidre agitur de Juramentis, quæ Christiano præstantur, sed generaliter de Votis & juramentis frivilis atque futilibus, quæ in sermone quotidiano excidere solent, nequam verò de judicialibus. Quod facile ex præced. §. 7. patet. Addo D. MIEGIVM in præf. ad Tract. Maimonidis, ipsum Maimonidem c. VI. & MIEGIVM in notis ad h l. pag. 69. ubi ista legimus: *Ejus quod Schevuath bittui seu juramentum pronunciationis vocare solent solutio datur: non adeo ḥ judicialis; aut ejus quod juramentum depositi, vel testimonii nuncupant; quorum nulla datur relaxatio.* Mischna Talmudica in Tract. Nedarim cap. III. §. I. Quatuor, inquit, votorum genera, dissolvuntur a Magistris: præcipitata, hyperbolica, erronea & coæcta. Nec alia juramentorum ratio, ut Maimonidis sic restituto non sinit dubitare. Apparet ergo errare, qui ut suffic̄ta Christianis Magistrati-

gistratibus Iudeorum juramenta reddant, illimitatam singunt potestatem Rabbiniis competere, quæcunque suorum juramenta, pro merito suo arbitrio irrita reddendi. Haec tenus D. Miegius. Sed hoc pro ratione instituti de Juramentis Iudeorum in genere monuisse sufficiat. Paulo specialius in juramenta Iudeorum judicialia nunc inquiramus.

§. 10. Vir Clarissimus, JOH. SELDENVS loc. cit. §. X. pag 317. postquam superius recensitas Juramentorum Judaicorum species exposuit, *Juramenta jam memorata cuncta, inquit, quoties essent in foro delata, solemni nomine vocabantur שבועות הריניים* Juramenta Judicum, qui itidem alio interdum, juxta Talmudicorum veterum disciplinam, utebantur, quod *שבועות חיצת* Juramentum. Impositionis dictum & graviss erat, & verbis variatim & sepius repetitis, siue reo, siue Testibus, siue utriusq; delatum, ad extorquendam veritatem, veluti per interrogationum & paenarum comminationum torturam. De hoc. Impositionis Juramento, quod Juramento Judicum contradistinguitur, videatur pluribus Seldenus, nec non R. Maimonides Tract. cit. cap. XI. & Miegius ad h. l. pag. 133. & Buxtorf. in Synagog. cap. 48. pag. 684: nec enim fert instituti ratio ad talia digredi. Judicum Juramentum solenne, seu quod alicui a Judice faciendum injungitur, qua forma & modo fieri soleat, paucis indicandum esse puto. Et quidem si oculum reflectimus I. ad ritus Judaicos; observare nos jubet BUXTORFIVS in Synag. cit. loc. pag. 678 quod *primo* omnium antequam ad juramentum delatum quem admittant, eum serio exhortentur, ut rem probè consideret & expendat, Dei timorem ob oculos ponat, neque temerariè ad juramentum provoleat; idque his vel similibus formis: *Sci.2s, mundum totum contremuisse, quando Deus dixit, Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum &c.* Secundò requirunt, ut Juramentum fiat cum Apprehensione rei alicujus pretiolæ & sacræ, ut puta Libri Legis, & quidem ejus, quo in Synagogis suis utuntur, ceu Cimelio, quod habent, pretiosissimo. Si res non adeo gravis sit, potest etiam adhiberi loco libri legis, aliis liber sacer, in quo nomina divina sunt scripta. Sufficere etiam aliquando posse *טלית פלאות* seu Phylacteria, si quis illa sua manu teeat; Buxtorfius cit. loc. pag. 680. Maimonides cit. loc. §. XI. & Miegius ad hunc Maimonidis locum pag. 134. Tertiò jurandum est per Nomen Dei, & quidem vel Proprium, vel aliud aliquod; vel etiam per Attributa Dei. Formulam autem Juramenti vel ipse ju-

rans verbis suis & nomine suo conceptam adfert; vel formula ipsi à Judicibus defertur. Utriusque casus exempla adfert *Buxtorfius* pag. 68 i. 682. *Quartum*, quod in Juramentis judicialibus observantum venit, est, quod juramentum sit præstandum eoram parte adversa, ut tanto magis juratus hujus presentia afficiatur. Tandem *quintò* potest juramentum concipi quavis lingua, quam juratus intelligit. Quod autem Maimonides cap. XI. monet: *Dacūsse Rabbinos, non fieri adjurationem à Judicibus, nisi lingua sancta*; id Miegus in Nota adjecta pag. 134. sic exponit: *Quod de lingua sancta hic babetur, ita intelligendum, si res ejus gnarus esset, non decere judices alia in adjuratione lingua uti.* Posse tum quoad verba, tum quoad res, plura addi, si necessitas id exigere videatur, nihil dissimulat *Buxtorfius*. Quæ recensita fuerunt; potiora tamen habentur.

§. 11. Nostrum est II. progredi ad Christianorum, quando Judæos adjurant, varia solennia & ritus, qui pro locorum & temporum ratione diversi sunt. In jure Græco-Romano tom. I. pag. 119. apud JOH. SELDENVM cit. loc. §. VI. pag. 301. Judæorum quilibet in forensi negotio adjurandus, rubo cingendus fuit; culeo etiam seu utri infidere & mare ingredi debuit, ac circumcisionem suam ter conspuere. Nec mirum, cum Judæi terroris incutiendi gratiâ aliquando ritus istiusmodi horribiles adhibeant, prout videre est apud *Buxtorfium* cit. loc. pag. 683. qui ex *Baal Aruch* in בְּרִית inter alia refert, utres inflatos solvi solere, ut spiritus inclusus subito erumpat; tabulam quoque, super qua mortuos deferunt, adferri; candelas ardentes extingui, idque genus plura. Interea monet Seldenus cit. loc. obtinuisse apud Christianos posteros, ut absque ritibus illis Rubi, Culei, Maris, adjurarentur Judæi in foro Christiano.

§. 12. Hoc tamen insuper haberi non debet, JACOBVM SPEIDELIVM in Speculo Observationum Juridico-Politico-Philologico-Historicarum, Dictione *Juden*/ folio 662. colum. b. referre, *Jure Saxonico* hanc solennitatem circa Judæorum Jurâmenta requiri: Wann ein Jud schwören soll/so soll er stehen auf einer Schweiñhaut/ die Junge gehabt binnien vierzehn Nächten/die soll man ausschneiden bey den Rücken/ und sie breiten auf die Zehen/ da soll der Jud aufstehen barfuß/ und nichts anhaben/ dann ein Niederkleid und ein härin

hārin Euch um sich / und also ist sein Recht. Allegat Speidelius D. Besoldum. In Synagoga Judaica Buxtorf. pag. 687. citatur FERDINANDVS HESS, Judæus conversus, in Speculo Judæorum , Colon. impresso Anno 1601. pag. 164. scribens, Judæum, juramentum præstitutum debere infistere pelli porcinæ , & manum dextram imponere libro legis. Sed addit Buxtorfius pag. 688: Unde ille pellem hanc porcinam, vel quo fundamento , desunaserit , nec scio &c.

§. 13. Operosius est juramentum , cuius formam proposuit JOHANNES PFEFFERKORN in libello contra Judæos ad Maximiliani Imperatorem edito Coloniae 1510. & ex hoc Buxtorfius in Synagoga Judaica cit. cap. p. 685. seqq. Primum, inquit, jubebitur Judæus totum diem jejunare , quod illis & in juramento praestando , & peragendis aliis sacris solenne est. Cum jam juratus est , proponentur ei in primis V. libri Mosis & Cornu hirci , quod in Synagogis inflari solet & buccinari ad sacra , & solennitates ipsorum : Deinde particula carnis bovinæ , & piscis , elixa utraque , sigillatim singulæ afferantur ; cum quatuor vitreis fictilibus vasis ; uno , vino repleto ; secundo melle ; tertio lacte ; quarto oleo : His appositis , constituantur Judæus nudo capite coram omnibus his , sic maximè , ut odor horum in nares ejus ascendat . Posthac præcipietur , ut dextram manum imponat libris Mosis , in eo præcipue loco , ubi decem præcepta Legis præscripta sunt , & ita præbit solennibus verbis , qui juramentum exiget , aut alius ex ejus mandato ; Ego juro per אָנוֹכִי יהוָה אֱלֹהֶיךָ Anochi Adonai Elohecha , juro per magnum Nomen Schem hammephorasch : juro per Jod He Vav He , me fassurum , dicturum , nihil celaturum de his , de quibus interrogabor . Quodsi ego in uno aliquo ex his (concipiantur , & nominentur , super quibus jurandum erit ,) minimo aut maximo , falsum dixerim , fefellerim , fraudavero , excessero , præteriero , aliter ac rogatus sum , & responderim , fecerim aut faciam . veniant super me plagæ omnes , & maledictiones , quæ in libris Mosis , Levitico maxime & Deuteronomio , præscriptæ sunt in omnes irreligiosos , & Legistergiversatores , perjuros & quicquid est malorum hominum . Neque unquam ingrediar terram sanctam , promissam patribus nostris , terram manantem lacte & melle ; nec siam particeps sonitus & clangoris cornu hircini , quod nominatur Schopbar hammashchiach ; nec vesçar in Paradiso cum gaudio de bove Schor babbur ;

babbar; aut de pisce *Leviathan*; nec bibam de vino illo potenti *Jain capparisin dicto*; & *Melle dulci*, *Masock Kidvaseb*; & de *Laete nitido*, cui nomen *אַלְבָה Chalabb*; & miti ac mansuetu *Oleo*, *Schemen tobb*: nec horum omnium particeps siam &c. Addunt sapè, quod vel solum illos fortissimè adstringit: Non videam diem illum, quo venturus est *Messias noster*; si non servavero firmissimè, quæ promiserò, juravero &c.

§. 14. Hanc formulam *Pfefferkornius*, (quem Speidelius cit. loc. fol. 657. colum. b. famosissimum appellavit *Judaum*, utpote ex Christianismo, quem amplexus erat, ad Judaismum relapsum) quantivis facit, nec vulgatam, nec omnibus notam vel auditam putat, additque: Si polt tale juramentum, per *Judaum* præstatum, comperiatur aliquid celasse aut dissimulasse, id juris est Magistratui & loci Rectoribus, ubi talis moratur aut deprehenditur, in eum propter falsum juramentum, in corpus & bona ejus, quam acerrimè mulctam imponere, eumque castigare. Imo dicit perfidus ipse Pfefferkorn, inter ipsos *Judæos* perjurum istiusmodi esse exscrabilem, ei aquâ & igni interdictum esse, & ingressu Synagogæ eum arceri &c.

§. 15. Formula ex Ordinatione *Cameræ Imperialis* passim adducitur ab auctòribus. Videatur *Speidelius* cit. loc. fol. 662. colum. b. *Seldenus* loc. cit. pag. 302. & *MIEGIUS* in *Præfat. ad Tract. Maimonidis de Juramentis*, qui certum esse ait, præter illam, quæ in Ordinat. Camerali exstat formula Juramenti judaici, *singulari cum studio* & *judicio* adornatam esse eam, quæ in *Jure Palatino* tit. 10. der *Hoffgerichtsordnung* præscribitur, *cuius adeo fermè inducor*, inquit, ut *Tremellium*, ex *Judeo Christianum*, & heic circa ea tempora Professorem, authorem existimem. Confert deinde illam formulam cum Tractatu Maimonideo, & ostendit, illius formulæ conditorum, traditionum Judaicarum callentissimum oportere fuisse. Nec inconcinnia est formula, quam prolixè describit *Speidelius* cit. loc. fol. 662. 663. ex *Ordin. im freyen Kaiserlichen Landgericht in Schwaben*/una cum aliis ritibus v.g. quod adjuratur *Judæus*, se nolle à quocquam petere juramenti sui præstandi solutionem, abolitionem, explicationem &c, item quod admonetur, cum *Judæi* olim Gentilibus validè jurarint ipsis idololatris, tanto magis illum adstrictum iri per Juramentum Christianis præstitum. Sic enim verba habent: *Zub / ich verkünde dir wahrhaftiglichen / daß wir Christen anbeten den*

den einig-allmächtig- und lebendigen Gott / der Himmel und Erden / und alle Dinge erschaffen hat / und daß wir außerhalb dessen / keinen andern Gott haben / ehren noch anbeten : Das sag ich dir darum und aus Ursach / daß du nicht meينest / daß du wärest entschuldigt vor Gott eines falschen Eydes / indem / daß du meinest und halten möchtest / daß wir Christen eines unrechten Glaubens wären / und frembde Götter anbeten / das doch nicht ist / und darum / sitemaln daß die Nesiis oder Hauptleut des Volcks Israels schuldig gewest sind zu halten / das / so sie geschworen hatten den Männern zu Giffan / die doch dienten den frembden Göttern / vielmehr bist du schuldig uns Christen / als denen die da anbeten einen lebendigen allmächtigen Gott / zu schwören und zu halten einen warhaftig und unbetrüglichen Eyd. Neque hoc Iudei hodierni eunt inficias, ceu docet Buxtorfius cit. loc. pag 689. Unde etiam nonnulli reformidant à Christianis recipere juramentum , tanquam verum & validum , secus ac olim Iudeis persuasum erat. Id quod inferius, ubi de Moralitate Juramentorum Judaicorum agendum erit , plenius poterit confirmari.

¶ 16. Missis nunc iis , quæ ex Historia Juramentorum Judaeorum adferenda videbantur , proprius ad rem ipsam accedo. Quæstio , quam explicandam mihi sumsi , bimembbris est. Nam de Fide & Moralitate Juramentorum Judaicorum me acturum esse recepi. Intelligo autem per Fidem h. l. Dictorum Conventorumque Constantiam & Veritatem : Sic ut quæstionis membrum prius hoc sibi velit : *Anne Christianus de Constantia & Veritate dictorum Conventorum, ad que Iudeus juramento adstringitur , certus & tutus esse possit?* Porro Moralitatem , cum quibusdam recentiorum accipimus pro eo , quod honestatem Morum decet , & maxime in Christianorum foro , quod conscientiam non laedit , sed probitatem moralem exprimit. Unde , quando de Moralitate Juramentorum Judaicorum in altera quæstionis parte disceptatur , talis sensus emerget : *Anne Christianus Magistratus possit sine conscientia vulnere, & lesione & morte, Iudeo juramentum injungere ; aut etiam Christianus alius à Iudeo recipere ?* De utraque quæstione quid sentendum sit , paucis pro virium tenuitate , ostendere annitar.

¶ 17. Quæstio de Juramentorum Judaicorum Fide , ab eo tempore , quo res Judaicorum à Christianis intimius perspecta fuerunt , tam intricata amplius non est : utpote quam sola ferè suspicio ex

rebus Judæorum non satis intellectis orta difficultem reddidisse videtur. Plana sunt R. Maimonidis verba, quæ superius §. 4. adduxī, in quibus disertè docet, *ad reatum perinde esse*, sive *ex quatuor juramentorum generibus* (tot autem genera in universum constituerat) suope ore quis proferat aliquo: sive adjuratus ab alio, quanquam Gentili, vel etiam parvulo, respondeat Amen: idque porro valere, quod unq; demum lingua adjuratio fiat, dummodo intellecta sit reo. Quod vel solum testimonium tanti faciendum esse judicavit D. Miegus in Praefat. S. p. laudata, ut illud unicum ad fidem *adserito nostro* (sc. quod de Fide Juramentorum Judaicorum, horumq; valore & obligatione non sit dubitandum) faciendam sufficiensimum pronunciarit. Adde alterum ex *Maimonidis Tractatu cap. VI.* §. VIII. (ex editione & versione Mieghiana) pag 64. locum; ubi, Postquam, inquit, adjuratus à Rubene Simeon, mediante vocula Amen, vel quomodo cumq; in Juramentum consenserit, nequit illud Simeoni, quamquam pœnitentia dudo ac absolutionem desideranti, nisi præsente, qui adjuraverat, Rubene relaxari: Nec si Ruben omnem sibi à Simeone vel Simeoni à se, emolumenti perceptionem, per juramentum vel votum interdixit, Rubeni pœnitenti licet, ac absolvi cupienti, aliter quam præsente, cuius sibi fruitionem interdixerat, Simeone absolutio concedi; utut hic MINORENNIS sit, veletiam GENTILIS: quo sic & iste, quem juramentum concernit, illud abrogatum nosse possit, & consequenter altero frui, vel fruendum se ipsi præbere. Quid planius hisce, quid distinctius dici potuisset? Nec vero private sententia, sed meræ Leges sunt, Talmudis autoritate suffulta, quas toto isto opere concessit Maimonides: ut ex re & vero D. Miegus observavit.

§. 18. Licit autem hæc plana sint, quod Christianus de Constantia & Veritate dictorum conventorumque, ad quæ Judæus juramento sese adstrinxit, certus & tutus esse possit; non tamen desunt dubia, quibus magni nominis Viri ad id sunt inducti, ut aliquando definirent, Judæorum juramenta, quæ Christianis præstant, nauci esse facienda, & meras esse Christianorum delusiones. Meum certe nunc fuerit dispicere, quid ad objectamina illa regeri poslit.

§. 19. *Objectio princeps* peti solet à facilitate, vel potius, ut, qui hac objectione utuntur, æstimant, levitate Judæorum in solvendis juramentis & votis. Quam ne temere dicantur objicere Judæis, urgent I. Judæorum mores, de quibus superius §. 5. ex Leone Muti-

Mutinensi dictum est, scil. quod unius sapientis aut trium plebæ-jorum judicio indulgent solvere vota & juramenta. Hoc urget BRENZIVS & alii; Illius locum §. 9. indicatum nunc majoris. Iu-cis gratiâ integrum dabo. Is autem cit. loc. pag. 13. scribit: Wann ein Jud gegen den andern ein Gelüb'd thut / und hat Reue darüber/ so gehet er zu den drey vornehmsten Juden selbigen Orts/ und spricht sie an / sie solten ihn diß Gelüb'd aufzuhun / so sprechen sie ihm ledig / &c. Alii II. urgent, & jungunt priori, quam putant, levitati, vel cum-primis alteram hanc, videlicet quod in festo Expiationis per Ora-tionem famigeratissimam, *Col nidre*, vel, ut corruptè D. Ayrerus dixerat, *Callandro*, suos ab omni juramento absolvant & vota sua retractent. Querelas D. AYRERI audiveramus supra §. 9. *Max. Ve-nerando Dn. WÜLFERO* loc. cit. placuerat, præ reliquis adducere **Margaritam**, cuius hæc sunt verba; Ob ein Jud das ganze Jahr/ weder Eydgelöbnish oder Bündniß nicht gehalten hätte/ so verzeihet es ihm allhier der Rabbi/ und löset es ihm alle auf/ und erkennet es für keine Sünde mehr/ und zu solchem Auslösen haben sie ein groß an-dächtig Gebet/ welches כְּנָרִי *Col nidre* heißt. Imo ipsi BUX-TORFIO in prioribus editionibus Synagogæ Judaicæ Oratio illa ad-eo impoluit, ut superius §. 8. ostendere licuerit, ipsum juramentis Judæorum planè diffissum fuisse.

§. 20. Sed bene est, tam luculentam esse Judæorum hoc in ne-gotio causam, ut quilibet vel palpare possit, ex iis, quæ §. 7. 8. 9. velut historicè adduxeramus. Judæis injuriam per has suspicione-s fieri. Et quidem I. solutionem Juramentorum per Rabbinum vel alios tres viros graves, non ad alia juramenta, quam ad Futilia per-tinere, ex professo docet R. Maimonides cit. loc. cap. VI. §. 1. p. 61. Si quem, inquit, juramenti jui, *EJV Sq. (י'ש ב')* FRIVOLI, affici pœnitentia contingat, seu animadversa implendi moleftia, ad mutandam animi sententiam impulerit, seu novum, nec juramenti tempore prævi-sum emergens, in causa sit pœnitentia; sapientem aliquem, vel, ubi ejus non datur copia, tres plebejos hoc nomine compellat, à quibus ju-ramenti sui impeirat relaxationem; licitumq; redditur factu, quod se intermissurum recuperat, vel omisſu, quod fakturum: Atq; ea est, que sic dicitur *JVRAMENTORVM SOLVATIO*. Hæc Maimonides. *Mischna Talmudica* in Tract. Nedarim cap. III. §. 1. Quatuor, inquit, votorum genera dissolvuntur à Magistris, præcipitata, hyperbolica, erronea & coatta, Confer Miegium ad Maimon. locum citatum pag. 69.

pag. 69 & quæ inde excerpti superius §. 9. sub finem. Quod si vero quis moneat, Judæos juramenta Christianis præstata referre inter coæcta, adeoque dissolubilia; equidem non dissimulabimus, esse hanc quorundam exceptionem; aliorum vero peculiare quoddam argumentum, de quo suo loco videbimus.

§. 21. Quando II. exaggeratur Oratio, *Col nidre* dicta; jam satis factum est dubio superius §. 7, ubi ex *Buxtorfio* & *Wülferso* testimonia partim adduxi, partim indicavi, quæ Judæos & absolvunt & illorum mentem ritè exponunt. Addantur, quæ prolixè ad hanc objectionem respondet Miegus in præf. cit. Mihi pauca hue repeterem licet: scilicet (1) quodsi Oratione illa *Col nidre*, Judæi perfidiam in Christianos molirentur; non magis Christianis, quâm sibimet ipsis etiam obscuri essent, & omnia mala introducturi in orbem: cùm adeo non sit illa Oratio ad juramenta Christianis præstata restricta, ut potius sine discriminâ de omnibus votis & juramentis, puta (prout Judæi explicant) quæ temeraria, frivola & precipitata fuerant, loquatur. (2) Non caret ingenio hæc Miegii exceptio, quod Oratio *Col nidre* non ab aliquibus modò, sed ab omnibus Judæis in Synagoga congregatis recitetur. Sed hæc circumstantia satis denuo arguit, Judæos non recitare illas preces in juramenta, quæ Judæus fortè unus aut alter fecerat Christiano, sed retractare illos tale votorum & juramentorum genus, quod magis frequens, quotidianum & in vita communi obvium est, h.e. illos quotidianos loquendi modos, vel jurandi & vovendi formulas, quas homines ex mala consuetudine sèpius fundere solent. Hinc (3) notatu dignissimus est locus ex *Orach Chayim*, à Dn *Wülferso* pag. 187. adductus, cuius non nisi Latina hoc transfero: Nimirum, alia vota hoc ipso non dissolvi, nisi quæ quisque pro se ipso voverit, nec alia juramenta rescindi, nisi quæ vel spontè, vel in sui ipsius gratiam quis fecerit: Ipsi enim vota illa, quibus proximo suo se obligaverit, aut juramenta, quibus vel ab eodem, vel à Magistratu rogatus fuerit, nullo modo fieri irrita. Imo (4) egregium etiam est argumentum, quod (ad cuius non possum non tæpius provocare autoritatem) Dn. *Wülfers c. l.* pag. 188. suggerit, ad evincendum, Judæos nihil doli illa Oratione intendere, quando ex *Hechal Hacondech* probat, ipsos Judæos docere, illam Orationem consuetudinis potius, quâm utilitatis causa servari, & decere illam consuetudinem prorsus aboleri, cùm nihil in voto dispensare.

spensare amplius liceat, quando illud jam semel violatum sit: nihil enim tunc amplius juvare, si dissolvatur? Liceat (5) notare reservationis loco, quod me non parum moveat *Buxtorfi* retractatio, quam superius §. 8. ostendi. Quantum enim hujus nomen & testimonium contra *Judeos latum*, adversam partem juvare & ornare poterat, tantum illis obest, quod *Buxtorfius*, maximè filius (cujus in rerum judaicarum admirandam peritiam nemo negat) illam opinionem deseruit & ex recentioribus editionibus Synagogæ Judaicæ delevit. Plura pete ll. cc.

§. 22. *Secundum Argumentum*, quò contra Fidem Juramentorum *Judaicorum Christianis prælitorum* insurgunt, est, quod *Judæis* solenne sit, reservationibus mentalibus & equivocationibus, non modò ludere; sed etiam, quod intentionis præsentiam ad obligationem juramenti, ut necessariam requirant, ac diversæ explicationis effugium mentisque aliorum conversæ prætextum, ad excusationem admittant. Et sanè, ne hoc quidem sine fundamento omni dictum ab adversariis videtur. Probant enim equivocationes & reservationes *Judeorum mentales* ex *Maimonide*, qui cap. III. §. III. & IV. scribit: Necesse, ut qui coacti juramenti uti excusatione velit, quo tempore jurat, præsentem cogitationem habeat de re, qua ab obligatione liberetur: et si enim, quid animo geratur, attendi alias non soleat; hic tamen, ubi vocalis pronunciatio per vim impeditur, cognitionibus animi innitiatur. Ex. gr. Qui violento cuiquam exactori, se non comedetur carnem citra limitationem jurat; sed cum mentali limitatione & restrictione vel ad carnem porcinam, juramento suo absolute non tenetur: Ac ita de similibus. Hæc Maimonides de reservationibus mentalibus tradit. *Idem cap. II. §. XII.* Nec alia, ait, juramenta valida sunt, in quibus cordis & oris aliqua est discrepantia. Quocirca si quis sit, qui audientibus nobis juravit à cibo per integrum diem abstinentiam; edat autem postmodum, & de juramento admonitus, respondeat, per errorem eam sibi locutionem excidisse, nec aliud mente consilium, quam non exeundi domo, foviſſe, flagellandus is quidem minimè est; nisi ante comeditionem coram duobus testibus fassus sit, de comeditione se jurasse, aut nisi admonitus, excusatione erroris, non ipso admonitionis tempore, sed aliquandiu post utatur. Tali quippe casu eam non attendunt; ut nec si admonitus neget, se unquam ea de re juramentum vel votum fecisse; con-

victus autem deinde de praestito tali vel juramento, vel voto, ad istud effugium recurrat, ut ita quidem se rem habere fateatur; sed aliud mente cogitasse, aliud ore profocutum esse; aut cum tacita id conditione intellectisse. Fidem talis neutiquam meretur, sed flagitorum poenam luat necesse est. Haec tenus denuo Maimonides.

§. 23. Est autem etiam ad hoc objectamen facilis responsio. Qui enim his Judæorum hypothesibus abutuntur ad probandum, quod ipsis ob Reservationes mentales licitas, vel ob cordis & oris dissensum non interdictum, liceat ludere omnibus in juramentis; sine dubio non recte intellexerunt Judæorum has hypotheses, aut perperam à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter colligunt. Nimurum falso est, Judæos absolutè in omnibus juramentis concedere æquivocationum & reservationum mentalium lusum, sed in certo tantum casu, nempe ubi vi iniquâ extortus fuerit, puta à prædonibus, latronibus, exæctoribus: quanquam nihil dissimulet *Miegus*, idem artificium hos homines sibi, saltem adversus Tyrannica & duriora edicta, indulgere. Vide ejus notas ad locum priorem Maimonidis pag. 28. seqq. ubi inter alia notat *Agrerum*, quod ab eo, quod Judæi de juramento coacto docent, ipse ad omnia juramenta Judæorum, citra limitationem, quam Judæi addunt, concluderit. De reliquo, quod juramenta coacta & vi extorta à latrone, obligent in conscientia, non modo Judæi negant, sed etiam Scholastici aliquando æquivocationum usum non interdicunt. Vid. *Theol. Moral. B. Dürrii de Juramentis* §. XIX. pag. 97. ut de Jesuitarum temeritate jam nihil dicam; Hinc nolim ob eam hypothesis iniquior esse Judæis, quam Scholasticis vel Jesuitis. Sed positō, Judæos æquivocationibus & reservationibus mentalibus, etiam in juramentis omnibus, impunè ludendi facultatem sibi arrogare: Ecquis ignorat, Magistratus posse facile huic lusui obviam ire, modo sequantur morem in foro Judaico quondam receptum, dicantque: *Non ex tua, sed nostra sententia te adjuramus*. Sic enim æquivocationibus obviam datum est. Vel, prout in formulis Juramentorum judaicorum Judicia Christianorum plura sapienter ordinarunt: *So ich unrecht oder betrüglich schwören werde/ so seye ich beraubt aller Gnade des ewigen Gottes/ ic.*

§. 24. Deniq; urgent; qui Fidem Juramentorum, quæ Judæi Christianis praestant, in dubium vocant, quod Coacta Juramenta Judæis

Judæis negentur esse obligatoria. Sic enim *Maimonides* cap. III. sui Tractatus de Juramentis auspicatur : Quisquis quatuor horum modorum aliquod juraverit coactus , nullatenus obligatur. Si coactus ab initio juramenti, ut jam est expositum ; sive post illud ab alio exactum ; violenter ab ejus observatione impeditus ; sive ad jurandum à violentiore adactus. Ad hæc juramenta coacta dicit *D. Ayerius* cit. loc. fol. 529. referre Judæos illa , quæ Christianis præstant : Sie die Juden / inquit, haben auch diß vor keinen bündigen Eyd oder Gelübd / was ein Jud einem Christen schwört oder zusagt / aus Ursachen / sie werden wider ihren Willen darzu gezwungen / &c.

§. 25. Patet verò , nec hoc argumentum adeo stringens esse. Nam et si certum sit , coactum Juramentum secundum Judæos non esse obligatorium : attamen falsum est , quod juramenta à Christianis exæcta quæ talia , pro incertis & non obligatoriis habeant. Coacta juramenta satis luculenter Maimonides restringit ad ea , quæ latrones , prædones & inqui exæctores injungunt. Potestatem autem Magistratus Civilis , etiam Idololatrici , agnoscunt , secundum Canonem tritum : *Judicium Regni* , *judicium est*. Conf. Miegium in notis ad Maimon. pag. 28. Hinc etiam à Gentili se obligatoriè adjurari posse , lubentes fatentur. Confer quæ ex Maimonide dicta sunt §. 4.

§. 26. Altioris indaginis poterit videri , quid sit sentiendum de quæstione altera , quam circa *Moralitatem Juramentorum* à Christianis , maximè Magistratum gerentibus , Judæis impositorum , movere solent. Hanc enim si probare velis , non contemnendæ difficultates urgebunt. Arduum quippe est (1) *Juramentum* , quod religiosa invocatione absolvitur , ab eo requirere , cuius religionem impiam , imo idololatricam , haberi non ignoras. Recipiendo enim tale juramentum , simul recipere & approbare ipsam religionem impiam judicari nos posse , videbitur. (2) Infra Christiani Magistratus dignitatem videtur , si se , officio suo fungens , commonet ad indolem servorum Judæorum , & ab horum impietate se cogi patiatur , ut Judæi pertinacia & superstitione potius , quam Magistratus autoritas formulam juramenti præscribat. (3) Cum Judæi non agnoscant Christianorum juramenta , per nostra sacra concepta ; par esse videtur , ut nec Christiani agnoscant juramenta per Judaicas superstitiones formata : Ne videlicet Christiani sint

In sua religione deterioris juris & conditionis, atque Iudei in sua. Sed Iudei non agnoscunt Christianorum juramenta, quod probat Buxtorfius in Synagoga judaica cap. 48. p. 688. 689: ubi adducit non modo textum Talmudicum ex Sanbedrin, qui ita habet: Non inhibet Iudeus Societatem cum Christiano, ne forte Christianus ipsi reus fiat juramenti, & juret per Deum suum alienum: Sed etiam profert locum prolixiorum ex Sepher Chasidim, quem ibidem legas.

§. 27. Etsi autem non omni specie careant hæc objectamina, solvi tamen posse videntur. Et quidem quod *primum* attinet, agnoscimus, arduam esse quæstionem, quæ pridem Moralistas exercuerit: *An licet homini Christiano, iurandum accipere vel exigere ab eo, quem scit per idola juraturum?* Ubi tamen videoas. Theologos nostri incelebres respondere, posse juramentum accipi & exigi ab Idololatra, cuius, non verò vel accipientis, vel exigentis culpa sit, quod per *Idola*, qui Deum verum esse putat, juret, adeoq; non adhibeat debitam industriad agnoscendi verum Deum, eundemq; in juramento invocandi. August. epist. 154. Qui utitur fide illius, quem constat jurasse per Deos falsos, Utitur non ad malum rem, sed ad licitam & bonam, non peccato ejus se sociat, quo per *Demonia* juravit, sed *bono patre ejus*, quo fidem servavit. Urgetur Exemplum *Jacobi*, qui juramentum acceperat à Labano per Deum Nachor factum *Genes. XXXI. 53. Conf. B. Dürrium* cit. loc. §. XIII. XIV. p. 95. Quod autem dicitur, recipiendo juramentum per idola præstitum, videri saltem tacite à nobis approbari cultum jurantis idolatricum; ad id respondeatur, negando consequentiam. Fidem & juramentum absolutè exegeramus à jurante: quod autem is ex suo præjudicio crediderat, juramentum verum fieri debere per illa sacra, quæ ipse, etsi deceptus, pro veris habet, id nec ex nostra mente, qui aliam potius religionem probamus, nec ob juramentum ab ipso exactum vel acceptum; sed ex præjudicio suo proprio facit: prout egregiè observavit *Augustinus*. Quod si verò fas est, recipere & exigere ab Idololatra juramentum, quod ipse per falsos Deos præstat: quanto magis licebit admittere juramentum Iudei, qui nobis jurat per Deum verum Creatorem Cœli & Terræ, qui Israelitis per Mosen tulerat legem: Quæ omnia vera & sana esse, ipsimet agnoscimus? Nec obstant disputationes de Deo Synagogæ, quatenus ille negat trinus in personis, cerebri judaici potius idolum,

dolum, quam Deum verum esse, tamen in juramentis, quæ ex Legge naturali estimantur, poterimus ab illo, quod non nisi ex Revelatione supernaturali constat, h. e. à Mysterio Trinitatis, in tantum præscindere, & Deum verum considerare, quatenus ex lumine & lege naturæ nobis innoteſcit: Ut adeo nihil Magistratus Christiani delinquent, vel in Conscientiam suam peccent, etiam quando fanas jurandi formulas ad captum judæorum prescribunt. Sed hac de re ex instituto agere Theologorum, adeoq; alijs fori est.

§. 28. Argumentum secundum, quod §. 26. allatum erat, itidem non concludit firmiter, quod si juramenta Judæis à Christiano Magistratu, ad captum Judæorum adornata. imponantur, hoc ipso aliquid admittatur, quod infra Magistratus Christiani dignitatem sit. Nimirus Sapientis, non præcisè servientis argumentum est, commodare se rebus objectis. Cum igitur haec enim Judæi sint subditi Christianorum, sane Sapientis Magistratus erit, Judæos trahere ut Judæos; & cum conscientia & religio non possit cogi, nec gladio debeat obrudi; in civilibus negotiis, ubi opus fuerit, uti Judæorum Juramenſis, ad veritatis indagationem. Neque h̄c aliqua servitus vel coactio, sed Magistratus sapientia conspicitur & aequitas; poteritque hoc suo modo trahi illud Epist. Cap. LXXVIII.

"Οτις δ' αὐτοῖς οὐγκεχωρηκε καλῶς;

Σοφὸς παρ' ήμον, καὶ τῇ θείᾳ Φίσιαν.


*Necessitati qui probè se accommodat,
Sapit: estq; rerum divinarum conscius.*

§. 29. Quod tertio loco objiciebatur de jure veluti Talionis, quod ideo par sit non admittere Judæorum juramenta, cùm ipsi soleant Christianorum repudiare juramenta; adeo arduum solutu non est. Nam (1) alienum est, si non à moribus, certè à præceptis moralibus Christianorum, vincī à malo & cuiquam reddere malum pro malo. Positō enim, peccare in eo Judæos, quod Juramentorum nostrorum sanctitatem, tanquam excusat, non agnoscant: Num inde sequetur, Ergo etiam ideo nobis Judæorum rejicienda esse juramenta? Non, puto, agnosceret hanc Consequentiam Spiritus Christi. Imo ne illam quidem agnovit sana ratio Regis Medorum, apud Herodotum libr. VII. cap. CXXVI. fol. 425. Cum enim

Legati Lacedæmoniorum, Medorum Regi dixissent: Rex Medorum, nos miserunt Lacedæmonii, ad luendam poenam pro iis Legatis, qui Spartaæ interièrē: Hæc isti dicentibus, Xerxes præ magnanimitate negavit, se fore Lacedæmoniis similem. Illos enim interimidis Legatis, jus omnium horum confusisse: se vero quod illis exprobraret, id non esse facturum, neque, eos occidendo, Lacedæmonios culpâ soluturum. Hæc Herodotus. (2) Præterquam quod in Ebræo legitur, societatem non esse ineundam "גָּזְבָּעַת" cum gentili; patet ex eodem Buxtorfio, hodiernos Judæos, reftius informatos, errorem Majorum circa juramenta Christianorum mutasse, atque licitum pronunciasse, juramentum ab illis exigere, ne quis jaetur rerum suarum faciat: deinde quia Christiani hodiè, maximè extra terram Istrælis, non sint veri Idololatræ, neque etiam per Idola jurent. Ne igitur simus Judæis obstinatores & duriores quam isti; (3) Non sit tam benè Judæis, ut illorum, qui servi sunt in Christianorum terris, præjudicia misera jubeamus à Christianorum Magistratibus pro injuriis reputari. Feritas Ju-daica, si qua est, ex infirmitate est: Christiana veritas firmior est, quam ut Judæorum insultibus concurti vel commoveri queat.

§. 30. Atque hæc sunt, Benevole Lector, quæ de Argumento præsenti operâ tumultuariâ, temporis angustiâ pressus, pro ingenii tenuitate & lectionis paucitate, tecum communicare volui. Inter ea conatibus fave, & si exoptatus defuit successus, voluntatem accipe, quam etiam à viribus desertam laudandam judicavit Poëta:

Hac ego contentos auguror esse Deos.





COROLLARIA.

I.

Juramenti sensum debet adjuratus estimare ex intentione adjurantis.

II.

Per Creaturas nec absolutè, nec relativè jurandum esse arbitramur.

III.

Juramentum Status Legalis, non Naturalis introduxit.

IV.

Vti temeritas jurandi in Vita communi gravi non caret culpā, sic etiam temerē ad juramenta in judicūs non est provolandum.

Mitte, latere domi : Pigri est. Conscende
cathedram,
Fortiter & pugna. Laudabile scilicet hoc est.
Hoc (dicis) facio. Video , commendoque
factum:
Laudant Teque alii. Benè ! Sic Tibi gloria
crescit.

*Ita Affini suo dilectissimo ex animo
applaudere voluit*

G. MATTHIAS KÖNIG,
Prof. Publ.

Dignus ! quem viridi cingant sua tempora lauro ;
Dignus quem Sophie decoret. Tu dignus honore,
qui studiis meritisq, tuis debetur Amice !
Gloria Virtutis semper Tibi fida ministra
haut inducis semper comes ire recusat.

Virtutes perquam eximias
Nobilissimi, Eruditissimi, Praeclarissimi, Dn. CANDIDATI,
Fautoris & Amici sui extumatissimi,
multis Encomiis & Honorum titulis
gratulabundus prosequitur

J. J. V.

